Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 881

Quelle:
Copyright:

IX. *fol.* 310. Resumuntur Collectanea miscella e Patribus usque ad *Codicis* finem. Thecae illius anteriori inscripti sunt Versiculi elumbes de Fabella *Henrici* VII. Imp. hostia venenata interemti, quos hic adponere piget.

CCLIV. VII. H. 20.

698 Codex membraneus lat. Sec. partim X. partim XIV. Folior. 82. 4. hanc miniatam Inscriptionem litera quadra praefert: *Incipit Expositio Quattuor Euangeliorum Sancti Hieronimi Presbiteri De Breui Prouerbio Edita Secundum Anagogen.* Ejusmodi Inscriptionibus praenotantur etiam Initia singulorum Evangelistarum, qui in *Cod.* hoc ordine se excipiunt: *Matthaeus, Johannes, Marcus, Lucas.* Praefatio ita ordiritur: *Primis quęrendum est omnium librorum tempus. locus. persona* &c. Commentarios hos, seu potius Adnotationes *Hieronymum* parentem mentientes e *Cod. Gemeticensi* edidit *Martianaeus* T. V. Opp. *Hier.* a *p.* 847. de tollendis, quibus Codex ille horret, vitiis nihil solicitus, ut queritur *Vallarsius*, qui eas T. XI. a *col.* 733. repraesentavit, mendorum silvam caedere pro virili adnisus, at subinde non sat feliciter hariolans, subinde rem in desperatis habens. E *Codice* nostro, quamvis et ipse non parum corruptus sit, subsidium peti posse, quae adscribo, Specimina demonstrent. Matth. c. 7. *Intrate per angustam portam* &c. ubi Gemetic. *deponant portam fides palasticas* II. quod *col.* 748. emendat Vallarsius: *deponant quas portant sarcinas*, Noster habet *fol.* 18. p. 2. *deponuntur. Porta fides. Palasticas duo*, quae, si legeris *Palatia*, sana sunt. C. 14. ubi Gemetic. *Tetrarcha id est inita pars regni*, Noster *fol.* 23. firmat emendationem Vallars. *col.* 751. *quarta.* C. 17. ubi Gemetic. *Piscis qui primum ascendit in alium, ostendit cornemium*, et Vallarsius *col.* 753. intacto *in alium* divinat *coronarium*, Noster *fol.* 25. feliciter: *in hamum*, et *Cornelium*, puta Centurionem illum, de quo Actor. c. 10. C. 21. ubi Gemetic. *Quem lapidaverunt es me Bart sive*, et Vallars. *col.* 755. remotis, ut ait, his verborum monstris: *quem lapidaverunt est Stephanus*, Noster *fol.* 27. p. 2. recte: *quem lapidauerunt id est Naboth siue Stephanus.* Joh. c. 10. *Qui non intrat per ostium* &c. ubi Gemetic. *primus ostiarius Joannes precursor Christi scripturæ scriptura divina*, et Vallars. *col.* 777. pro *scripturæ* legendum fortasse putat *secundus*, Noster *fol.* 36. aperte: *Secundus ostiarius Christus est scriptura divina.* To *Scriptura* fortassis auferendi casu, aut *est* perperam pro *et* posito. Luc. c. 6. ubi Gemetic. *Quattuor beatitudines leguntur, quia quattuor virtutes cardinales continentur: caudes, Latine dicitur cordis: istæ quattuor lenes, ostenduntur quattuor partes mundi;* a quibus *col.* 767. manum retrahit Vallarsius, rectius Noster: *In hoc libro quatuor*